



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

De sex sedulitatibus seu indulgentijs. Cap. LXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

De sex sedulitatibus seu diligentijs.

CAPVT LXV.

Sex diligentia adhibenda.

VT autem homo in vita spirituali proficiat, ac perseueret, sex diligentias facere debet. *Primò*, cor suum frequenter ad Deum eleuet, eiusque gratiam & patrocinium seruenter semper imploret, quoniam à seipso planè potest nihil. *Secundò*, sibi forte deliquerit, protinus cum magna diligentia ad mentem rediens, per veram pœnitentiam & confessionem ad Deum studio iterum se conuertat, cum firmo proposito omnia peccata, omnesque peccatorum occasiones euitandi. *Tertiò*, rei diuinæ audiendæ quotidie operam det, idque ex mera gratiarum actione: quotidie enim renouatur nobis amor ille, quo suavissimus Dominus seipsum nobis reliquit in terris. *Quartò*, sæpius, maxime autem festis diebus se ad sumptionem sacramenti Eucharistiæ præparet. Quod & si semper non accipiat, aut si alioqui parum ad hoc sit dispositus, nihil secus tamen ad hoc se præparabit, quam si verè illud esset accepturus: vt inexhauste illi Seruatoris dilectioni aliquatenus saltem occurrat, faciens quod in se est. *Quintò*, magna diligentia, magnoque adfectu ad verbum Dei audiendum, legendum (sicut ad verum animæ cibum) properet, quod auditum vel lectum, studiosè reuoluens, ita apud sese aliquantisper maneat, perinde ac si Christi corpus verè manducasset, verbum Dei intra se operari sinens. Verùm enim uero errores istos neotericos, qui sub verbi Dei preteritu nunc passim inualescunt, idque contra fidem & instituta Ecclesiæ Catholicæ, quæ sponsa Christi est & basis veritatis, maiori studio cauebit, quam ipsum cacodæmonè, si modo salutis sue curam aliquam habeat. Non est enim nisi vna Ecclesia Catholica, vna fides, per vniuersas mundi nationes dispersa, ab exordio mundi ad finem vsque duratura, in cuius vnitate seruandi sumus omnes. *Sextò*, omnes societates & familiaritates omnium hominum, quantumuis etiam sancti aut religiosi sint, qui ei alicubi occasio esse possunt, boni alicuius omittendi, aut sceleris cuiuspiam admittendi, studiosè deuitet.

Verbū Dei quā studiose auscultandum sit.

Ecclesiæ vnitatis.

Familiaritas fugienda quæ.

Clarum Speculum & amabile exemplar, quod nobis præmonstrauit Dominus noster Iesus Christus, quodque à nobis vicissim exigit.

CAPVT LXVI

Quisquis in virum spirituale euadere desiderat, ante omnia maximā interioris hominis sui curā agere & tacere debet, vt audiat quid in eo loquatur Deus. Omnem etiam occupationem, cordisque distractionem deuitet, ac Deo in solitudine vacet. Sensus suos ab omni vanitate arceat, Deique præsen-